

Cum subito nova lux visum mihi perculit, atque
 Involvit totum radiis fulgentibus astrum.
 Dum trepido, frustra que aciem contendere tento,
 Jamque oculum admoveo, jam retraho, jamq; minorem
 Intrudo alternis tubulum, jamque effero longe
 Educens, animoque incertus fluctuo, & anceps;
 Nam nihil in rutila licuit discernere flamma;
 En alia volitans cœli de parte per auras
 Diva meum Uranie numen delabitur: olli
 Æthereo vultus micat igne, micantia bini
 Sidera sunt oculi, stellis micat aurea vestis.
 Adstitit, & dictis hærentem affatur amicis:
 Maeste animis, Phœbo cultor dilecte, mihi que:
 Non frustra & sudo servas vaga sidera cœlo,
 Et canis Aonia redimitus tempora lauro.
 Arcadici pater ipse chori, nec Juppiter altus
 Abnuat, æthereo quæ maxima Dique, Deæque
 Cœpta parant super axe inter tot millia vatum
 Te voluit, te posse oculis mortalibus unum
 Spectare, & populos cantu celebrare per omnes.
 Mortali formata manu terrestria vitra
 Abjice, & nunc dextra tubulum cape (porrigit aureo
 Eductum gremio tubulum): perfecit in orbe
 Hunc Phœbus faber ipse suo, abscissamque micantis
 Partem axis, qua divino mage fulgurat igne,
 In globulos flexit, facie (5) queis tenuior alta
 Materies gremium sensim densatur ad imum.
 Illa omnes uno flexu, quocumque colore
 Sint radii, punctum intorquens conducit ad unum;
 Atque eadem jubar, & nimio quæ languida torpent
 Lmina distractu, corroborat, adjectisque
 Constipat radiis: globulus patet amplior alter,
 Alter vix quidquam superat non sensile punctum:
 His penitus distincta, & multa in luce videre